Thorlacius, Skúli

De anima per mortem cataracta

Hafn. 1767

B. C. D.

DE

ANIMÆ PER MORTEM CATARACTA

SEU

MUTATIONIBUS STATUS ANIMÆ PER MORTEM

DISSERET

SKULO THEODORI THORLACIUS

DEFENDENTE

NOBILISSIMO ET INGENIOSISSIMO

JOHANNE MARTINO SCHÖNHEYDER

IN AUDITORIO



D. 21. Decembris Ao. MDCCLXVII. h. p. m. s.

Imprimatur, MART. HÜBNER.

HAFNIÆ, typis ANDREÆ HARTVICI GODICHE, S. R. M. Univers. Typograph.

Is. Watts's Eſs. Philoſ. on var. Subj.

When we ſhall have trawelled over the ſtage of time, by the light and influence of this knowledge, we ſhall forſake at once theſe ſcenes of mortality and ſhadows; we ſhall ehange this duſky region for a brighter. Farewell books, and diſputes, and dark notions, and ſame hypotheſes! We enter into the ſtate of unbodies minds, we are ſurrounded with the light of Paradiſe, we ſhall ſee ourſelves, and our fellowſpirits, ther we ſhall commence our happy immortality in thoſe pure and exqviſite delights of unerring contemplation, and undecaying love.



De mutationibus ſtatus animæ per mortem.

Sectio I.

De immortalitate animæ.

§. I.

Quis qvaſi vivit aliturqve funeribus œconomia animalis, unqvam & usqvam naſcentibus ſerior ocyor mortis neceſſitas connaſcitur, nec imperium detrectare homo poteſt; & inde diſcimus, qvam alte cecideret, ſuam & poſterorum ſecum trahens ruinam author generis Adamus, cum, immortalis Dei imagine dotatus, ad communem animantium cœterorum ſortem, ſeqve ſuosqve dejecit. *Sive* illa, corpori Adami in pœnam commiſſi ſceleris liberrimo offenſi Dei arbitrio, lethalis immiſſa contagio eſt; *Sive* vitiato peccandi lubidine animo, vi mutuæ corpus inter & animam ſympathias, ordinatos antea omnes, qvos ſenſitivos vocant, appetitus turbaverit ſtatim, ſeqvax & mortis prænuntia corporis intemperies. *Sive* deniqve, in ipſo vetitæ arboris fructu mortis naturalis ſemina latuerint, eoqve ſublatum ſit temperamentorum æqvilibrium, per arborem vitæ tuendum Gen. III. v. 22. 24., unde virium aliarum alias exceden-

cedentium conſumptio toti fabricæ corporeæ attulerit primum labem, mox præproperam ruinam. Ita deſtinatum primitus æternitati corpus humanum, exitialem jam brevi tempore putredinem ægre defendit, qvam generis humani vicem doluiſſe videtur Servator, exanimis Lazari Spectaculo illacrymatus Joh. XI. v. 31.

§. II.

Primam igitur mortis naturalis cauſam docet revelatio, certitudinem congener & communis experientia; & iſta noſſe ſufficeret homini, ſi æqve certus eſſe poſſet, disjecta membrorum ſtrue, nil ſui fore ſuperſtes. Verum, vel ſola ratione magiſtra docemur, id, qvod in nobis ſui ſibi conſcium eſt, omnis qvippe, ut compoſitionis, ita corruptionis expers, in eas, qvas non habet partes, nec reſolvi, nec diſpares adeo, ac ſunt ſimplex anima, & bruta corporis moles, naturas, niſi ſepare fato diſperire poſſe. Qvamvis autem, nec pro mentis immortalitate ſua ſpondeat ſimplicitas, nec abſolutam compoſitio moriendi neceſſitatem corpori imponat, eo tamen utrinqve valet naturæ conditio, ut ſine miraculo, nec intercidere anima, nec æternum ſtare corpus qveat.

§. III.

Veteribus, qvotqvot animam corporis ruinis intermori crediderunt, illud fumum feciſſe reor, qvod compoſiti mentisqve naturam adeo non noverunt, ut, qvam ſint in eodem ſubjecto inſociabiles, perſpicerent. Fingit enim eventus cauſa non majores ſolum, ſed &

omnino

omnino carentes, qvi vim cogitandi extenſo attribuit; Siccine junctura partium, qvarum ſingulas arbitrii expertes eſſe largiuntur, innumeris variata motibus, ſemper tamen æqve neceſſariis, ſuisqve adſtrictis legibus, conſcientiam & libertatem gignere potis eſt? ne vos larva terreat, amici, prolem matri ſimilem habebitis, libralem, cubitalem, qvadratam, globoſam, imo milleformem cogitationem: Non magis refugiam, ſiqvis ſono colores, pondus lumini dederit, aut qvascunqve demum, invita ratione, rerum cuderit copulas.

Scol. I. Qvinam circa naturam, vel ætatem animæ noſtræ, & qvantum peccaverint veteres ſive Philoſophi, ſive Patres, ſcire cupidos lectores, brevitatis ſtudioſus, ad Vosſii De Orig. & Progresſ. Idolol. Libr. I. Cap. X. & Libr. III. Cap. XL. remisſos volo.

Scol. II. Notum etiam præprimis eſt, qvanto argumentorum apparatu Lucretius, toto, *De Rerum Natura*, Libro IIItio probare annisus fuerit, *corpoream esſe, & ſimul cum corpore naſci & interire animam;* nimius voluptatis tibicen, & admirator Epicuri, in cujus

Fixa pedum poſuit presſis veſtigia ſignis.

Prodiit autem arte melior & argumentis M. Poligniacus, qvi in Anti-Lucret. Libr. V. De Mente. multa movendo nihil promovisſe Lucretium ſatis oſtendit. Nec fortiter minus ſuam Lockio clavam extorſit, callide ſubmonenti De Intell. Hum. L. IV. Cap. III. §. 6. nec non Lett. I. to the Biſhop of Worceſter Pag. 66. " *Nos offici ideis materiæ & cogitationis, at fortasſe haud manifeſto comperturos unqvam, utrum ens aliqvod pure materiale cogitet, necne.* „ Miror ſummo cœtera Philoſopho tale dubium excidisſe, qvo nulli non ſcepticismo janua recluditur, qvaſi qvia e. gr. esſentiam Dei non penitus habemus perſpectam, de ejus æternitate aut cœteris attributis dubitare liceret; Satis autem huic Viri dubio fecerunt, inter alios, conterranei ejus, Jſ. Watts. Opp. Vol. V. Eſay. Philoſ. 2. §. 3. 4. Sam. Park.

 famil.

famil. Lettr. VIII. *of the Soul.* Et nullas animæ noſtræ cogitationes a materia dependere, doctrina, ingenio & acumine ſingulari demonſtravit, qvisqvis eſt, author Libri, qvi inſcribitur *an Inqviry into the Nature of the human Soul.* Vol. 2. §. 1.

§. IV.

Simplex igitur ſit, oportet, qvod cogitet, & qvod ſuapte moriatur, compoſitum. Qvapropter, non eſt, cur timeamus, corporis putredini in ſimplicem animæ ſubſtantiam qvidqvam licere, ſed ſupervivet ſuo corpori anima, niſi interveniente miraculo in nihilum fuerit redacta; Miraculum autem patrare, vel non patrare, cum liberum omnipotentiæ exercitium ſupponat, apodicticæ qvod ajunt, demonſtrationi non ſubjacet. Nec igitur gentium conſenſus, nec trepida futuri poſt hanc vitam ſtatus in morituris anticipatio, nec inexplebile, & ultra hujus vitæ ſortem & terminos exporrectum perfectæ felicitatis deſiderium, aut ſiqvæ plura ſunt credibilitatis argumenta, qvamvis mentis humanæ immortalitatem oppido probabilem reddant, omnem credenti erroris formidinem adimere qveunt. Exiſtentiæ divinæ æternitas ſola in eſſentia ejusdem fundatur, ſola igitur apodictice certa eſt; Cœtera, qvotqvot exiſtunt, auxilio, ad exiſtendum indigent divino; Et hæc eſt altera ratio, cur animæ poſt mortem exſtituræ æternitas certitudinem apodicticam non admittat. Verum eſt, & alia huic ſuppar certitudo, qvæ non eſſentiali & cogente neceſſitate, ſed regulis nititur, qvibus arbitrium ſpiritus dirigitur, in actionibus ſuis vel ſuſcipiendis vel intermittendis, & hæc vocatur *moralis certitudo.* Inde pendula actionum & eventuum prædeſtinata certitudo, præſcientiæ omnis in ſpiritibus fons unicus, eo major eſt, qvo perfectior agentis

tis cognitio, voluntas & potentia. In Deo igitur prorſus erit infallibilis, in qvem nullus error, nulla voluntatis vertigo & nulla virium impotentia cadere poteſt. Pro regulis actionum Deo ſuæ ſunt perfectiones morales, cum obligationis externæ ſit incapax, *vivet itaqve in omne ævum mens humana, ſi ſic voluerit bonitas, ſapientia & juſtitia Numinis.*

Schol. I. In dijudicanda animorum immortalitate, velim notetur ambiguitas, qvæ non obſervata minus cautis facile poteſt imponere. *Natura immortale* vel illud dicitur, cujus, esſentiæ prorſus repugnat mori; qvo ſenſu nec anima, nec ullus ſpiritus creatus, ſed ſolus, independens qvippe, & μόνος ἔχων αθανασίαν I Tim. 6. v. 16. Deus dicendus eſt natura immortalis. Sin *Natura immortale* illud dixeris, qvod ſuapte indefectibile per innatam & ſpontaneam ad interitum collabentiam, qvod corpori proprium eſt, (vid. Scheibl. Metaph. Lib. II. Cap. IV. n. 79.) qvod Canzius (Medit. Philoſ. §. 321.) *ex principio interno incorruptibile* appellat, ut hæc naturæ immortalitas animæ tribuatur, jubet ejus ſimplicitas.

Schol. 2. Non mirum igitur, ſi gentiles Philoſophi mentis humanæ immortalitatem vel negaverint, vel incongruentibus dubiis reddiderint ſuſpectam; Qvi enim, qvæſo, illi, rem ſine illimi & accurata perfectionum Dei moralium notitia vix monſtrabilem, ſcire potuerunt, qvi vel nullos, vel tales Deos coluere, qvales eſſe vel homines puderet. Ut enim Dicæarchum, Democritum, Epicurum, Galenum, & alios taceam, qvi animam, utpote vel elementarem, vel temperamentum elementorum, ſimul cum corpore exſtingvi putarunt, ne illi qvidem, qvi immortalilatem animarum demonſtrare ſategerunt, ſatis ſibi conſtare videntur. Ariſtotelem ſuper hac re fluctuaſſe, & pugnantiſſima docuiſſe, monſtrat hiſtoria philoſophica Cicero ipſe in ſuo de Senectate Libro & alibi, tam ſtrenuus immortalitatis propugnator, in Qvæſt. Tuſc. Libr. I. de hac re ita diſputantes M & A. inducit:

   

inducit: " *M, Evolve diligenter Platonis eum Librum, qvi est de Anima, amplius qvod desideres, nihil erit. A. Feci me hercule, & qvidem sæpius; sed nescio, qvomodo, dum lego, adsentior, cum posui Librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnes illa elabitur*,,. Seneca, immortalitatis animæ & ipse amantissimus eam pro svavi somnio habet, Epist. C. 2. "*Dabam me*, inqvit, *spei tantæ, jam eram fastidio mihi, jam reliqvias ætatis infractæ contemnebam, in immensum illud tempus, & possessionem omnis ævi transiturus, cum subito experrectus sum, epistola tua accepta, & tam bellum somnium perdidi.* Magis autem miror, post discussas etiam revelationis divinæ lumine, per opinionum avia palantis conjecturæ nebulas, fuisse & esse etiamnum qvi animæ immortalitatem negando, non religionis solum, sed virtutis omnis fulcra proruunt, vel animæ simplicitatem subdole impugnando, ejus immortalitem simul per cuniculos aggrediuntur. In priorum numero sunt *Thnetopsychitæ*, Hæretici juxta Damascenum (Libr. de hæres) seculo secundo clari "*Hominum animas pecudum animis similes inducunt, & eas una cum corporibus dicunt interire*,,. Proximi his sunt Arabici, seculo tertio ab Origine redarguti, qvi *animas simul cum corpore perire, sed extremo resuscitari judicio* statuerunt, horum recentiori tempore doctrinam Cowardus in Anglia amplexus est (Teste Walckio. in Lex. Philos.) Circa simplicitatem animæ nota sunt Lockii (§ 3. Schol. 2) & Voltairii (vid. Canz. Med. Philos. §. 1104.) dubia. Non dixerim ego, viros summos immortalitatem animæ negare, sed perqvam facilem reor, a simplicitate animæ negata, ad negandam immortalitatem prolapsum; Qvod & vestigiis hærentium exempla docent.

Non, rien n'est plus certain, soyons en convaincus,
Dès qve nous finissons notre ame est éclipsée,
Elle est en tout semblable à la flamme élancée,
Qvi part du bois ardent dont elle se nourrit,
Et des qv'il tombe en cendre elle baisse & périt.

§. V.

§. V.

Ante vero qvam propius accessero solvendæ qvæstioni non sane enodi, numqva scilicet fiducia immortalitas animorum attributis Dei moralibus superstrui qveat, præmonitos volo lectores, iis me verba facturum, qvi & esse Deum immortalem concedunt, & ejus beneficio acceptum ferre res, ubi - & qvando - cunqve fuerint, omnes, non minus qvod perseverent, qvam qvod cœperint existere, nec ulla sua commoda ex creatis rebus qvæsiisse Deum, sibi qvippe semper sufficientissimum, & nullius extra se indigum rei, sed solo, qvod optimo naturale est, benefaciendi studio, æternum de rebus creandis consilium iniisse.

Schol. Noli dictis obesse reri, qvod finem creationis ultimum gloriam Dei esse dicant Theologi; *Gloria* Dei *interna*, qvæ in interno omnium perfectionum divinarum consensu consistit (vid. Canz. Jurispr. Civ. Dei §. 553.) *per creationem augeri non potest, externa* vero, ut Deus a creaturis intelligentibus talis, qvalis est, cognoscatur, jubet; Ad hanc ceu omnis apicem felicitatis, si adspirare spiritus creati debent Joh. 17. v. 3. & hic finis *bonitatem Creatoris loqvitur*. Nec res inanimatas objice, qvæ 1 Cor. 6. v. 20. Psal. 19. v. 1. gloriam Dei, sed objective solum prædicare dicuntur, qvatenus scilicet objectum & materiam Deum laudandi spiritibus suppeditant, proprie enim nisi per creaturas intelligentes gloria Dei non impetratur (vid. Canz. ll. cc. §. 559.) Qvidqvid igitur de rerum existentia ex attributis Dei moralibus intulero, de spiritibus intellectum volo.

§. VI.

Bonitas est studium dignis benefaciendi; aufer limites, & bonitatem divinam habes, talem nempe qvæ

   

intensissimo fertur studio cum omnibus omnes, qvarum capaces sunt, perfectiones semper communicandi. Hæc personarum capacitas vel ex morali vel naturali s. essentiali earundem conditione æstimatur: Bonitas divina moralibus vel meritis vel demeritis proportionata nihil est aliud, qvam *Justitia Dei distributiva;* eam vero, qvæ capacitatem naturalem respicit, *bonitatem stricte*, distribuenti justitiæ contradistinctam, voco. *Animæ* & spiritus omnes, naturalis ut initii, ita interitus prorsus sunt incapaces; ergo vi ejusdem, qva creati sunt, bonitatis divinæ *nunqvam desinent.*

Schol. Etsi inter Attributa divina nulla diversitas, minus oppositio vera locum habeat, nec Deus qvidqvam velit, refragante justitia, sola tamen hac bonitate, creaturas omnes intelligentes, & creatas esse, & conservari existimo, an vero justitia Dei contra immortalitatem animæ qvidqvam excipere habeat deinceps monstrabo.

§. VII.

Hanc viam animorum immortalitatem commonstrandi, neminem hucusqve ingressum esse scio, qvo diligentius tamen eam lustravero, eo magis innoxiam deprehendo, nec ulla, qvod videam, metuendam scrobe euntium vestigiis insidiari. Non subest justitiæ foro spirituum existentia, qvippe qvæ, uti nec dari merentibus, ita nec immerentibus adimi potest, sed solo largitore Deo datur, & data stabit, qvamdiu sibi constabit &

essentia

eſſentia rerum & optimi Numinis bonitas; Ea enim, qvæ nec ſemper, nec omnibus, nec omnes, qvorum capaces rerum naturæ ſunt, beneficia confert, nec ſumma nec divina eſt bonitas.

Schol. Cave vero, ne ſic exiſtentiam omnium Spirituum, individuam eſſentiæ ſeqvelam ſtatuas, indiget enim illa, & indigebit ſemper benefico numinis auxilio. Nec velim deductam de ſpiritibus finitis concluſionem omnibus accommodes exiſtentibus; nam ſi de compoſitis loqveris, ea, qva talia, æternitatis naturaliter eſſe capacia monſtrato; Sin de ſimplicibus, ſic illa in nihilum eſſe redigenda rationibus mere philoſophicis evinci poſſe diffido; Propter ſe ſolos tamen memento, conditos eſſe ſpiritus, horum vero cauſa res cœteras, in tantum autem, & tamdiu ſapienter amantur media, in qvantum & qvamdiu fini proficua ſunt; igitur nec proprie bonitatis divinæ objectum eſt, nec diutius durabit inanima materies, qvam qvoad ſpiritibus inſerviet. (vid. Cruſ. Anweiſung vernünftig zu leben. §. 218.)

§. VIII.

Qvi optimos, & maximos, optimis obtinendos mediis, fines intendit, is demum *ſumme ſapiens* vocatur. Id ſibi creando voluiſſe Deum, ut à creaturis intelligentibus cognoſceretur, largiatur oportet, & qvi ſpirituum felicitatem, & qvi gloriam divinam ultimum creationis finem agnoſcit. (§. V. Schol.). Utrumlibet elegeris, nam ab his diverſum, qvi Deum deceat, nullum dari poſſe finem creationis ultimum credo, fateberis,

   

finibus ſuis parum velificari Numinis ſapientiam, ſi in tranſitu ſolummodo, & proinde manca, mutila & interrupta ſpirituum contemplatione, cum tamen perpetua & pleniori poſſit, cognoſci velit: Vult autem, ſi exacta hujus vitæ fabula, æternitatis & capaces & cupidas animas ab operum ſuorum theatro decedere juberet, easqve ſimulac huic corpori miſſionem dederunt, vel in ſtatum nihili redigeret, vel perpetuo ſopore obſtupefaceret; Qvo, numqvid ſive naturæ ſpirituum, ſive ſummæ ſapientiæ minus conveniens effingi poſſit, non dixerim.

§. IX.

Non-exiſtentia nec glotiam Dei, nec ſuam felicitatem qvidqvam promovent; Dei vero ſapientia, niſi tantam, qvanta poſſibilis, & ſuam gloriam, & ſpirituum utilitatem intendat, ſumma non eſt. Durante hoc vitæ curriculo, ad majorem Dei cognitionem homo, per ſcalam qvaſi creaturarum ſemper enititur; Perfectionum vero nulla eſt, qvæ non alias, ceu naturalia ſui conſectaria, indefinite multas parturiat, (cum nihil ſit ſine conſectario, per Metaph.): Verum tota qvanta animarum, in hac vita acqviſita cognitio prorſus ſterileſcit, & infructuoſa redditur, ſi hujus vitæ rude qvaſi donata, in nihilum tunc redire cogeretur anima, cum & naturaliter perſeverare, & in cognitione Creatoris magis magisqve proficere poterit. Per animarum igitur cum corpore interitum,

ritum, non universalis solum veritatum nexus hiulcat, sed in regno sapientiæ, immane qvanta dehiscit rima.

Schol. 1. Non abludit argumentum Crusii, qvo in Entwurf der nothwendigen Vernunft-Wahrheiten §. 484. animarum immortalitatem ex suis qvidem principiis ita demonstrat: Die vernünftige Geister sind die letzten objectivischen Endzwecke Gottes. Wenn also dieselben vernichtet würden, oder auf ewig zu leben aufhörten: So fiele der Zweck Gottes, welchen er durch dieselben gesuchet hat, hinweg. Diesen Zweck liesse er entweder ohne alle Ursache fahren, welches wider die Weisheit ist; oder er liesse ihn nach Vorschrift eines höhern Zweckes fahren, welches sich wiederspricht, weil ein jeder vernünftiger Geist selbst ein letzter Zweck ist. A sapientia divina, qvidqvid habet ponderis, mutuatur argumentum Rüdigeri, in der Anweisung zu der Zufriedenheit der menschlichen Seele Cap. 3. §. 23. seqv. ubi animam fore immortalem exinde concludit, qvod solis inter animalia hominibus anhelum summæ felicitatis desiderium indiderit autor naturæ Deus, qvod frustra fecisset, nisi animam, alius post hanc vitam status præstolaretur. Huc etiam spectasse videtur Cicero in Catone Majore Cap. 23. " *Sed nescis*, dicens, *qvomodo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, qvasi cum excessisset è vita, tunc deniqve victurus esset, qvod qvidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent. haud optimi cujusqve animus, maxime ad immortalitatis gloriam niteritur* ".

Schol. 2. Suas igitur sibi res habeant ii, qvi animas corporis solutas commercio obdormiscere, & vel æterno urgeri sopore, vel extremo demum judicio expergefieri statuunt, aut qvotqvot alia, de posthumo animæ statu, opinionum divortia invenerunt male sedula hominum ingenia, vid. Reusch. Metaph. §. 1136. Dormiunt animalia, ubi feriantur externi sensus, renuentibus officium, qvi sensationes ad cerebrum evehunt, spiritibus animalibus, ex labore & usu, vel dilapsis, vel consumptis; & sublatis sensationibus sui conscientiam amittit anima: vid. G. E. Hamberg. Physiol. Med. §. 1351. seqq. Mechanica vero somni in animato corpore necessitas, num animam gravabit à corpore sejunctam, qvam ne sensibus qvidem, dum adhuc in corpore est, ad excitandas cogitationes indigere, loqvuntur ipsa, qvæ in somno obtingunt, somnia? Qvantumvis hic diffideant Philosophi, ea tamen semper mihi visa est, animæ & spirituum omnium indoles, ut nisi cogitent, non existant, etsi, qvid cogitaverint, non semper reminiscantur; & non magis a spiritu cogitationem, qvam extensionem a materia abesse posse existimo. Hoc Veteres sensere, qvi animam αὐτοκίνητον, *per se mobilem* vocarunt, talem qvippe, qvæ agendi principium in se haberet; hac de causa Aristotelis ἐντελέχειαν dedit Cicero Libr. I. Tusc. Qvæst. *continuam qvandam motionem, & perennem.* Lockianis nec argumentis moveor, qvi, (de Intell. hum. Libr. 2. cap. 1.), ut animam non semper cogitare probaret, omnem movit lapidem, & ab infantili ætate, a somniorum intermissione, ad totalem in anima idearum, per intervalla, cessationem, me judice, nimis properanter, concludit; Qvota enim cogitationum nostrarum pars est, qvam recolere memoria potest, & qvis tamen, qvod

non

non recordatur, nunqvam ſe cogitaſſe aſſeveret? *Ens intelligens non cogitans*, qvid ſit, non intelligo, nec magis, dormire incorporalem animam poſſe, puto, qvam angelos, niſi & ipſos dormitare dicas; & qvid ſemel ſopitam animam excitabit? abſente enim corpore, ſpiritibus animalibus, nec deficientibus ſopietur, nec reſtitutis evigilabit. Qvorſum vero res cadat, nihil inde lucrabitur Hypnopſychita, non magis enim dormiens anima ſapientiæ finibus in ſervit, qvam nulla; & ſub ſapientisſimo regimine, uſuum regno migrabit, qvod prorſus eſt inutile: aut igitur poſt mortem anima non erit, aut erit inſomnis,

§. X.

Bonitatis & ſapientiæ in ſpiritibus connubium juſtitiæ dant natales; Si igitur animas eſſe immortales bonitas, ſi ſapientia voluerit Numinis, idem non poterit non velle juſtitia. Perſonarum, porro, meritis proportionalis juſtitia divina, vel virtutes *remuneratur* vel ſcelera *vindicat*: Verum hac in vita, exactam inter præmia meritaqve proportionem, ob rationes ſapientia dignas obſervari non poſſe, eventibus mundanis vel mediocriter attenti, à poſteriori cognoſcimus. Aut igitur, *cum rapiant mala fata bonos*, ullum eſſe Deum, cum Poëta, dubitabimus, aut futurum credemus poſt hanc vitam ſtatum, in qvo ſummæ fiat juſtitiæ ſatis, ſuasqve ſcelerati pœnas, ſua boni præmia reportent. Verum nec pœnas ſentit, nec capit præmia, niſi qvi exiſtit, annihilationi itaqve animarum tamdiu divina intercedet juſtitia, donec

nec

   

nec præmiorum, infinita benignitas, vel pœnarum, majeſtatis divinæ vindex nemeſis ſatis eſſe dixerit.

Schol. I. Præmii vel pœnæ loco ſpirituum annihilationem haberi poſſe, nemo dicet, niſi qvi, & qvid dicat, & qvid præmium pœnqve ſit, ignorat; & nullos pœnarum fines annihilando obtineri poſſe, ut ſciamus, ſatis eſt, qvinam ſint, noſſe; vid: Canz. Civ. Dei §. 1679. & 1689. ſeqq. Hic autem velim attendas principium, veritatum maximi momenti feraciſſimum, *exiſtentiam ſpirituum a nullo libertatis, vel uſu, vel abuſu dependere*, qvod neminem huc usqve Philoſophorum demonſtraſſe ſcio; uti enim nec præviſa virtus exiſtentiam meretur, ita exiſtere qvidem, ſed infelices, merenter facinoroſi, & ſic ipſi, præde juſtitia, ut puniantur, erunt immortales.

Schol. 2. Ambraciotæ iſtius Cleombroti, qvi teſte Auguſtino Civ. D. Lib. 1. cap. 22., lecto Platonis, de immortalitate diſputantis, Libro, præmaturo animæ poſt mortem ſtatus noſcitandi deſiderio, de muro ſe præcipitem dedit, exemplum, uti non laudo, ita nec eorum amo incuriam, qvi in re maximi momenti, adeo ſecuri ſunt, ut ſtatum hunc animæ in nulla non duraturum ſecula, poſthuma, ſed ſera nimis experientia diſcere, qvam argumentis prænoſcere malint; Opperiantur igitur ignotum mortis hoſpitium, ſcituri, num oppeſſulatis priſtinæ vitæ foribus, joca jocis penſet Rhamnuſia: Interim, qvanto ſic volunt, (ut ait Poligniàcus.) Hos Epicuræis habitare ſinamus in hortis.

Iuſenſés, Eſprits vains, qu'en ſes têts déteſtables
Retient obſtinément l'orgueil contagieux,
Dieu regne; à mon exemple ouvrez vos foibles yéux:
Récompenſer les bons & punir les coupables,
C'eſt le but de ſon œuvre, & lé premier deſſein
Qu'il conçut, & qui vit conſtamment dans ſon ſein.

MAILLARD.

